



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Jesu Christi Annus. M.D.LV. Sancti Patris Benedicti. M.LXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

proderet, & universæ Hispaniæ commendaret. Et mirabitur sanè qui vel solos Abbatum Hispanorum syllabos perlegeret, tot simul semelque Canoniorum diverforum Antistites, summà doctrinæ non minus, quàm sanctitatis opinione celebratos, quos omnes, Exercitatorium sanctæ memoriæ Garziæ Cisterij Opus, Divini Spiritus dictatis plenissimum [uti Divum Ignatium tam potenter excitaverat] ipsos quoque & vel maximè recens exemplum tam sancti Præsidis sui, ad conatus similes accenderat. In Anglia Germanique non pauci è nostris, non è cathedris solum acriter contra Hæreticos rem agunt, sed & scriptis doctissimis eorum errores profligant, sed & Italia hoc anno, ambidextrum contra eisdem pugilem meruit, Jacobum de Leccio Congregationis nostræ Coelestinae Ascetam Religiosissimum, qui Paulo IV. Rom. Pontifici, ob egregia animi talenta charissimus extitit, atque hoc ipso tempore impia Hæreseos dogmata, insigni libro elisit atque elusit. Sed & præter hunc, alia quoque magni ingenij monumenta posteritati reliquit, eaque inter: *Librum unum: De consolatione Crucis. Librum nem de Cereemonijs Ordinis, itemque unum de Vita S. Coelestini V. sue Congregationis institutoris.*

Sed quid mirum, sitantorum Ducum exemplo, excitati in sacra bella milites, rem fortiter agere aggressi, viros se præbuere & probavere; certè non minora, magis autem miranda, quæ tenerrimæ hoc ipso tempore Virgines, nec minore quam viri animo, in carnem, inque seipsas, plus quàm Hæroica resolutione suscepere, & quidem felicissimè confecere, cujusmodi Amazones, perditissimo hoc ævo, Gallia protulit plurimos, jucundissimo cœlitum spectaculo, cum mundo, Cæcodamone, Carne ita generosè congressas, ut seriò rem agi nemo non adverteret, & totum sanè Regnum & Rex ipse Christianissimus, raperentur in admirationem. Et antesignanis jam plurimis, suum valorem probantibus & sacram in hostes aciem ducentibus, proque re bene gestâ ad triumphos Triumphantis Ecclesiæ evocatis atque admittis, Renata. Lotharingiæ Ducissa, Regij generis Virgo, quantò delicatior cæteris visa, tantò robustior

animo, Regio sanè spiritu talia Virtutis specimina edidit, ut nemo sui contemptu emereret altius, nemo proprij corporis fatigatione, maceratione, castigatione generosius pugnaret. Ipsa prima in acie chori, in jejunijs, in Vigilijs, in omni quod carnem domat, quodque inferos fugat & cruciat, ut nullum tam promptum, in arma & pugnas, etsi generosissimum belli Ducem videas, ut morte tristis omnibus esset, tantæ Principi non obsecundare ad omnia, quacunque duceret tamque animosè præiret. Erat autem, qualem esse decebat Archistrategam tantam, eâ discretione, ut non tam rigidam moderatricem ageret, quàm solidâ pietate matrem, incredibili diligentia & sollicitudine omnibus prospiciendo, eâ prudentia, inquit Tribout, *humilitatis, charitatis, mansuetudinis, observantia laude temperabat omnia, ut sicut omnibus, ingenij sagacitate, acumine, firmitate, præstantia eminebat, via regimine animatum, præclarissimorum morum indole, & integerrima vise omnimodâ luce, immenso intervallo, superaret omnes &c.* Et revera, inter applausus sæculi vivens, nihil tamen plausum sentiens, saltem fastidians, DEI unius delectata servitio, inter omni modam rerum gerendarum curam, frequentissima cum Rege, Regina, Prælati, Proceribus, Affinibus & Consanguineis confessus & colloquia, sibi constans semper, nullam in partem flexa, DEO uni intendit; fuitque ille magnæ mentis Divinorum sensus ac Religio, ut tot negotiorum moles, à studio pietatis, præsentia in Choro, sibi que subditarum perfecto regimine, nihil detraherent &c. *Ex R. P. Amandi Tribout, & Relig. Congr. S. Mauri communicatio.*

JESU CHRISTI ANNUS. M. D. LV.
Sancti Patris Benedicti. M. LXXV.

MERICISSIMUS de orbe & posteritate universâ ad felicissimam immortalitatem felicissimus hoc anno transit sanctæ memoriæ Isidorus Clarius noster Monachus S. Joannis Evangelistæ Parmensis, & Abbas meritissimus Sanctæ MARIE DEI Genitricis Cefenæ Congregationis Casinensis singulis, si per compendium licuisset, annis celebrandus. Is pro eximia vitæ Sanctimonia ad Fulginatis Pontificatus

Nisi pro
Cathedris
generosè
agunt con-
tra Aca-
tholicos.

Amazones
Benedicti-
na.

Renata
Lotharingi-
æ Ducis-
sa pia An-
tisignana.

Ejus sæculi
comite impia

B. Isidorus
Clarius
Episc. Ful-
ginas.

catus cathedram evectus, in omni vita tanto se honore dignissimum exhibuit, in ipso Episcopatus munere comprobavit. Præful revera magnus, Vir & morum integritate, & scripturarum Divinarum intelligentia, nec non linguarum peritiâ clarissimus, qui Concilio Tridentino summa cum laude interfuit, & scriptis doctissimis Ecclesiæ ornamentum, in signe addidit. Mortuus est ingenti cum subditorum luctu, immortalis sui omnibus relicto desiderio, in cathedrali sua Basilica summa cum reverentia sepulchro illatus, & ab amantissimis civibus, sequenti Epitaphio honoratus:

Ejus Epitaphium.

Isidorus Clarius Brixinensis, Fulgineæ jam septem annis Episcopus, vite & moribus integerrimus, exemplo & verbis admirabilis, doctrinâ clarissimus Christianâ, Græcâque Hebraicâ, Latinâ: mira in pauperes charitate ignitus, annum suæ ætatis circiter sexagesimum ægens, acutissima correptus febre patientissimè placidèque obdormivit, ac quadraginta post mortem horis ob assiduam populi deosulationem, maximis cum lachrymis ejusdem non fatens certè prò mirum! sed redolens, hic situs est, die XXVIII. May. M. D. LV.

Incorruptio corporis

De Operibus ejusdem, quibus nomen suum aternitati consecravit, sequentia memorantur.

- In sermonem Domini in monte habitum, Orationes sexaginta novem. Lib. I.*
- In Evangelium Lucae Orationes quinquaginta quatuor. Lib. I.*
- Orationum extræordinariarum. Tomi 2.*
- De Justificatione hominis & gloria Orationes 2. in Concilio Tridentino habitæ.*
- Aliæ plures Orationes, in eodem sacro Concilio Tridentino ab eodem habitæ.*
- De modo divinis adhibendo homini Christiano Oratio unica.*
- Novum Testamentum vulgatæ aditionis ab eodem Translatum.*
- In Caput nonum Epistolæ S. Pauli ad Romanos Orationes duæ.*
- In Caput decimum quintum Epistolæ I. ad Corinthios. Libri. III.*
- In Cantica Canticorum. Liber. I.*

Isidori Clari monimenta.

Pleraque excusâ Venetijs & Mediolani, prostant, tantique Præfulis sanctum fervorem omni posteritati commendant.

Fit Pont. Max. Paulus IV voto nosler.

Eodem anno Pontifex Maximus electus Paulus IV. Ex Illustrissimo stemmate de Caraffa, Neapolitanus, antea

Joannes Petrus appellatus, nostris propensione addictissimus, Fundator, ante Cardinalatum, Canobij S. Nicolai Theatinorum, cujus extrare Epistolam propria manu Scriptam, Lucas Ruhensis affirmat, ex qua ostendatur Caraffam prædictum omnino cum socijs statuisse cucullum Camaldulensium nostrorum, & Benedictinam amplecti Regulam, nisi Deus propositum divertisset, & ad aliud majus ipsum vocasset. Js hoc ipso, primo sui Pontificatus anno, sanctæ memoriæ Hieronymum Suesanum nostrum, ad se accereri iussit. Verbis Lucae ipsius referamus, ipsâ simplicitate styli veritatem aptissimè enarrantibus: *Veni Romam, inquit, vir obedientissimus, ac lato vultu à Pontifice suscipitur, eumque osculo pedum præmissis, sic alloquitur Papa. Quale tegumentum istud Hieronymus (erat enim vilissimus & asperis tunica & pallio indutus) seu qua austeritas ista? Nimis durè tecum agis, dimittas ea oportet. Cui senex: nec alius, nisi fallor, habitus penitentem decet: nam qui mollibus vestitur, non in deserto, sed in Domibus Regum sunt. Nec tu, inquit Pontifex, amplius in deserto eris, sed manebis hic nobiscum: nec de catero Eremitam Te, sed Cardinalem volumus. Quo audio statim cecidit pronus in terram senex: multis etiam lachrymis profusis, cum diu in resutando dignitatem oblatam persisteret, vix tandem breve tempus ad deliberandum obtinuit. Quo finito ad Pontificios pedes revolutus, humiliter petijt ad suum Oratorium remitti, affirmans nullam dignitatem sibi chariorem esse, quam veram penitentis sanctissimum statum; neque alibi delicias sibi futuræ extra solitudinem. Ex his cum intellexisset Pontifex, piam ac sinceram Viri DEI voluntatem, noluit eum cogendo contristare: sed totam rem in ipsius arbitrium contulit, & Hieronymus ad suum desideratum Eremitorium reveriit. Ita Lucas Ruhensis. Hæc adeo, ut inde nostrorum æstimes dignitatem, qui purpuram ipsam hoc etiam tempore cucullo suo viliores æstimavere.*

In Hispanijs inter Illustriores celebrioresque Vitæ integritate, & singulari eruditionis laude eminent hoc tempore Ambrosius à Gandavo, Monasterij celebris à Spina dicti religiosissimus Asceta Erat hic magno ingenij acumine, & curiosus naturæ abstru-

Ven. Hieronymus Suesanus.

Cardinalatum receptum.

Ambrosius à Gandavo.

struorum indagator, ut paucos suae aetate pares haberet in Mathematicis & alijs scientijs, multisque ejus eruditio admirationi esset. Ordinarijs enim & spiritualibus Religionis exercitijs imbutus, se Divinorum contemplationi dedit, & Astrologiae auxilio, cujus erat callentissimus, syderum influxus & Virtutes inquirens, tantum profecit, ut omnibus sui admirationem pareret. Tantam nominis celebritatem meruit, ut & Inviectissimo Imperatori Carolo V. innotesceret, qui summam in eo ingenij sagacitatem miratus, nunquam eum à latere suo discedere voluit, quod summa in negotijs tractandis polleret dexteritate; & in dicendo facilitatem animadverteret. Imperatore deinceps non minus ipsum coluit, aestimavitque Philippus II. Hisp. Rex, apud quem summo in pretio fuit, quique ejus studia plurimum promovit; in quibus ad finem usque perstitit, multaque ingenij monumenta ad posteros transmisit. E quibus *Liber unus celebratur, de Supputatione temporum, & alius, de varijs Astrorum influxibus*, qui soli huc usque typo prodire. *Ex rer. Hisp. Script.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LVI.
Sancti Patris Benedicti. M. LXXVI.

Luctuosus haud multo minus nostris quam Religiosissimis Societatis Jesu Patribus, hic annus Viri sanctissimi, deque Orbe Christiano meritiissimi Divi Jgnatii de Loiola, glorioso ad caelos transitu, quem Montserratenses non aliter atque sui corporis membrum, Casinates ut spiritu conjunctissimum, Benedictini omnes qui ipsum noverant & foverant, interque omnes junctissimum animo sanctae memoriae Ludovicus Blossius Abbas Lætiensis, ut amicitissimum deplorare factis non poterant, etsi juxta sibi pollicerentur, potentissimum ad caelos patronum praemisisse, de cujus singulari favore sibi plurimum pollicerentur. Condoluit plurimum novae sibi dilectissimae, & validissimae contra diversos adversarios propugnatae Societati, Beatæ memoriae Ludovicus noster de Estrada, & statum à morte tanti Patris & Patriarchæ periculossimum, expensens, tanto majore se animo ad complectendos & amplexandos filios

ejusdem orphanos, resolvit, quanto magis consilio & ope ipsos indigere animadverteret. Extat cum alijs tanti viri opusculis pia admodum atque elegans ejusdem Epistola, in morte tanti Patris ad pupillos scripta, ad universam, inquam, Societatem, statim à morte Jgnatii, digna haud dubie, quæ Annalibus ejusdem Ordinis inferretur. *Ex monim. Hortensibus, Ang. Manrique &c.*

Meritissimus hoc anno de celeberrima Germania Inferioris Urbe Duacena, Sanctus Maurontus Abbas noster, eadem à potentissimis hostibus, qui jam spe devoraverant, prodigiosissime liberata, quæ & pro aeterna tanti Beneficij memoria, anniversariam solemnitate instituit. Verbis Martyrologij Benedictini referamus. *VIII. Idus Januarij apud Duacum Flandriae, Commemoratio Sancti Maurontis Abbatiss, ejusdem civitatis Patroni quod hac die ejus meritis & presentia liberati sint Duacenses à traditione Gasparis Colinet summi Gallorum Ammiralij anno Domini 1556. Cum enim ille hac nocte, in qua precipue populus Flandricus ex antiqua consuetudine, mero indulgere solet, urbem capere moliretur, quod omnes ebrios ac sopori deditos se inventurum putaret, apparuit Sanctus Maurontus in somnis Custodi Ecclesiae sancti Amati (in qua sacrum ejus corpus quiescit) eique ut Matutini signum daret, usque tertio precepti, quod cum facere recusasset, horam Matutini nondum advenisse asserens, ab eo coactus, tandem perfecit. At cum Matutinum pulsare se crederet, campanae ipsa, non Matutini, sed armorum signa dabant; quarum sonitu populus excitatus, ad mania cum festinatione armatus properans, ipsum Sanctum veste Monachali fulgida, lilijs aureis vestersa (erat enim de Regia Franciae Regum propagine, & usque hodie sic depingitur) induitum, dextraque Regale sceptrum tenentem, ac mania circumcumentem, claris oculis viderunt; eumque donec populus excitaretur, Urbem suam apertissime defendisse cognoverunt. Cujus Beneficij gratia à Sancta Rom. Eccles. Duacensi hac die concessam Solemnes Processiones instituere, in quibus pretiosissime Ipsius corporis exuvia, in capsula argentea recondite, maxima cum populi frequentia & devotione ab Ecclesia Canonicis reverenter circumferuntur. Ex Martyrol. predicto. Arn.*

S. Maurontus Abbas Duacum prodigiosè servat.

Historia memorabilis.

Anniversaria memoria.

Casari Carolo V. gratissimus.

Jesu Philippi II. Regi.

Maurontus S. Jgnatius magno nostrorum luctu.

Ludovicus de Estrada condolentia.